

XV. [Vidua et miles]

Quanta sit inconstantia et libido mulierum

Per aliquot annos quaedam dilectum uirum amisit et sarcophago corpus condidit; a quo reuelli nullo cum posset modo et in sepulchro lugens uitam degeret, claram assecuta est famam castae coniugis. Interea fanum qui compilarant Iouis, cruci suffixi luerunt poenas numini. Horum reliquias ne quis posset tollere, custodes dantur milites cadauerum, monumentum iuxta, mulier quo se incluserat. Aliquando sitiens unus de custodibus aquam rogauit media nocte ancillulam, quae forte dominae tunc adsistebat suae dormitum eunti; namque lucubrauerat et usque in serum uigilias perduxerat. Paulum reclusis foribus miles prospicit, uidetque egregiam facie pulchra feminam. Correptus animus ilico succenditur oriturque sensim ut impotentis cupiditas. Sollers acumen mille causas inuenit, per quas uidere posset uiduam saepius. Cotidiana capta consuetudine paulatim facta est aduenae submissior, mox artior reuinxit animum copula. Hic dum consumit noctes custos diligens, desideratum est corpus ex una cruce. Turbatus miles factum exponit mulieri. At sancta mulier "Non est quod timeas" ait, uirique corpus tradit figendum cruci, ne subeat ille poenas neglegentiae. Sic turpitude laudis obsedit locum.

[Appendix Perottina Fabularum Phaedri]

- quaedam: mulier
- dilectum: amatum
- sarcophago...condidit = in sarcophago sepultum est
- reuelli (inf. pass.): eripi, extorqui, scindi, tolli



lugere

- degeret vitam = viveret
- assecuta est = consecuta est

- fanum: templum



cruci suffixus

- compilarant = compilauerant = rapuerant
- luere poenas: poenas dare
- numini = deo (dat. relationis)

- adsistere = assistere: adiuuare

- lucubrare: laborare nocte / sero

- uigilias perduxerat: non dormitum ibat



porta paulum reclusa | - reclusis = apertis

- correptus = captus | - succenditur = incenditur

- sensim (adv.): paulatim et nullo sponte

- sollers-rtis (adj) = astutus, habilis

- acumen-inis = ingenium, astutia

- advena-ae (m.) = extraneus, externus

- copula artus = nodus

pressus || ligamentum

angustum / strictum



- revincere = ligare

- desideratum est: defuit / defecit

- subeat poenas = punitus sit (patiatu poenas)

- turpitude = infamia

- obsedit locum = occupauit locum

Quaedam amisit uirum dilectum per aliquot annos et corpus condidit sarcophago. Cum nullo modo posset reuelli de quo et in sepulchro lugens uitam degeret, assecuta est claram famam castae coniugis. Interea qui Iouis fanum compilarant, suffixi cruci luerunt poenas numini. Iuxta monumentum quo mulier se incluserat, milites dantur custodes cadauerum, ne quis posset tollere reliquias horum. Aliquando unus de custodibus sitiens media nocte aquam rogauit ancillam, quae forte tunc adsistebat dominae suae eunti dormitum; namque lucubrauerat et perduxerat uigilias usque in serum. Reclusis foribus paulum, miles prospicit uidetque egregiam feminam facie pulchra. Correptus animus ilico succenditur oriturque sensim ut cupiditas impotentis. Sollers acumen inuenit mille causas, per quas saepius uiduam uidere posset. Cotidiana consuetudine capta paulatim facta est sumissior aduenae, mox copula artior reuinxit animum. Dum custos diligens hic noctes consumit, corpus ex una cruce desideratum est. Turbatus miles mulieri factum exponit. At sancta mulier ait: "Non est quod timeas". Et tradit corpus uiri figendum cruci, ne ille subeat poenas neglegentiae. Sic turpitude obsedit locum laudis.

Infra scripsi (apparet) versionem meam in prosa (oratinem meam prosam)

- Quaedam mulier perdidit maritum... (maritus suus mortuus est) / ponit corpus eius in sarcophago.
- Nulla persona posset eripere/detrahere mulierem de sarcophago / plorans et vestita colore nigro / assecuta est = obtinuit famam claram
- quidam/homines qui / luerunt poenas = puniti sunt /
- monumentum quo = sepulcrum in quo / posuerunt milites custodes / ne = finalis (sensu finali) / reliquias = corpora furum/latronum.
- sitiens = qui sitim habebat (sitis ei erat) / adsistebat = aiuvabat /
- prospicit: aspicit, bene videt / egregiam: optimam / ilico: statim, celeriter / oritur: surgit / ut cupiditas impotentis: tu homo qui resistere non potest = animadvertite ironiam.
- mille causas: mille excusationes, praetextus /
- paulatim mulier facta est sumissior extraneo (militi) / fortasse aduenae sit etiam dativus relationis / copula artior reuinxit animum: miles et mulier fornicati sunt, (animadvertite quomodo id dicat) sed id dicit modo eleganti (elegantem)
- diligens custos = animadvertite ironiam
- desideratum est corpus = corpus iam non erat in cruce suffixus (crucifixus)
- sancta mulier : animadvertite ironiam / Non est quod timeas = noli timere
- figendum: ad figendum, ad crucifigendum = ut corpus in cruce suffigeret
- subeat poenas: ille punitus sit